

**DOMINICA MISERICORDIA DOMINI. Sermo II.**  
in ordine. XLI.

**E**GO sum pastor bonus. Ioan. de-  
cimo.

Licet do-  
minus  
multos  
nobis de-  
derit sa-  
lutis mi-  
nistros  
ramen  
se pasto-  
rem opti-  
mum co-  
stituit.

In omnibus nobis abundè mi-  
sericordiam suam & bonitatem osten-  
dit dominus, sicut in diuersis psal. ait pro-  
pheta: Misericordia eius præueniet me:  
& misericordia quoq; tua ante oculos  
meos, misericordia tua subsequetur  
me omnibus diebus vitæ meæ. Sed &  
post hanc vitam quid? Qui coronat me  
me inquit, in misericordia, & miseratio-  
nibus. Cum enim nõ esse mus, nos crea-  
uit, cum male essemus reparauit, dum  
reparati sumus, ne deficiamus, pas-  
cit, & defendit, & consummatos tandem  
beatificè coronabit. Cuius si causam q̄-  
rimus, non nisi bonitatem Dei diligen-  
tis nos misericorditer inuenimus. Nam  
quo ad opus creationis ait Magister  
suis. 1. secundi. Credamus rerum crea-  
tarum celestium, vel terrestrium, visi-  
bilibus, vel inuisibilibus causam non es-  
se, nisi bonitatem creatoris. Hinc Aug.  
1. de doctrina christiana: Quia inquit,  
bonus est Deus, nos sumus. Boe. lib. 3.  
de consol. Quem non externæ pepule-  
runt fingeret causæ &c. Quo ad opus re-  
parationis ait Ber. serm. 2. de Penteco.  
Verbum Dei in sublimi constitutum;  
vt ad nos descenderet, propria benigni-  
tas inuitaret, misericordia traxit, cha-  
ritas verbis, & miraculis manifesta-  
uit. Ob hoc enim (vt ait Isido. lib. de sum-  
mo bo. ca. 14.) venit medicus dum esse  
infirmi, patefecit vuln<sup>9</sup>, composuit  
semetipsum, & de sua morte nobis me-  
dicinam aperauit, vt non esset tantum  
ostensor vulneris, sed sanator. Verum  
quid prodest medicinam composuisse,  
nisi sit, que in vulnere applicet? Aut  
quid prodest sanatum esse, nisi sit, qui à  
vulnere antebus defendat, & in acquisita  
sanitate foueat, & conseruet? Ad quod  
opus licet multos nobis ordinauerit, mi-  
nistrium circa nos agentes, sicut dicit  
apostolus: Sic nos existimet homo sicut

ministros Christi, & dispensatores mi-  
nisteriorum eius 1. Cor. 4. Non tamen  
sua circa nos cessauit sollicitudo. Sed si-  
cut olim promisit patribus dicentes:  
Egoiple requiram oues meas, & visita-  
bo illas, sicut visitat pastor gregem suū.  
Ego pascam oues meas. Quod perierat  
requiram, quod abiectum erat, reducā,  
quod fractum fuerat, alligabo, quod in-  
firmum erat, consolidabo, & quod pin-  
gue, & forte, custodiam. Ezech. 2. 4. Ita  
nobis impleuit optimus dominus dice-  
ns: Ego sum pastor bonus. Aue Ma-  
ria. Primo recitabitur euangelium. Se-  
cundo elicietur ex eodem documen-  
tum.

Euangelium: Ego sum pastor bonus  
&c. In hoc euangelio tam gregis domi-  
nici pastores, quam propriæ pastorum  
oues, & designantur, & erudiuntur. Di-  
scernit etenim dominus inter pastore,  
mercenarium, atq; lupum, singulorum  
describit proprietates, formam quoque  
edidit, quam imitentur pastores. Sed &  
oues proprias distinguit ab alienis, nõ  
vtiq; ouibus, sed he dis. De quibus quo-  
niam priori sermone circa hoc ipsum  
euangelium plura locutum me recolo,  
ideò nunc non repeto. Dumtaxat ad-  
monitos esse cupio vniuersos in regimi-  
ne constitutos, vt non mercenarii, mul-  
tò minus lupi, sed pastores boni esse sa-  
tagant, vt non de honore, temporalib<sup>9</sup>  
lucris, terrenis commodis gaudeant,  
sed magis impositum onus sentientes  
semper timeant, & ingemiscant, ne sua  
ex culpa oues domino pereant. Atten-  
dat Paulum hominem vsq; in tertium  
cælum raptum 2. Cor. 12. & ineffabi-  
lium verborum participem factum, nõ  
audentem loqui aliquid eorum, qui in  
se non efficit Christus. Rom. 15. nihil si-  
bi coniectum. 1. Cor. 4. Qui didicit, in  
quibus sufficeret, sciens humiliari, abũ-  
dare, facitari, esurire, & penuriam pati-  
ad Phil. 4. Omnia arbitratum, vt ster-  
cora vt Christum lucrificeret ad Phil.  
3. Qui cum liber esset ex omnibus, om-  
nium se fecit seruum, vt plures lucrifa-  
ceret, omnibus omnia factus, iudeis tan-  
quam iudeus, infirmis infirmus, vt om-